Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38279
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



328

uolebant. sednonillieratopusutquisquamnecestimonium perhibere de homine; Ipse enim sciebat quid esset in homine. ideo cum amicum eum uerbadixisset. quidme inquit temptatis hypocritae; Ergo amici mei et proximi mei aduersus me appropinquauerunt et steterunt. et proximi alonge steterunt; Nosti quia dixi proximus. dixi appropinquauerunt. et tamen alonge steterunt; Appropinquauerunt enim corpore. sed longe steterunt corde; Quid tam propinquum corpore. quam qui in crucem leuauerunt; Quid tam longe corde quam qui blasphemauerunt; Audite istam longitudinem abesaia prophetae. uide et istam propinquitatem et longinquitatem; populus hic labiis me honorat. ecce propinquat corpore cor autem eorum longe est a me; Idem propinquit idem longinquit; propinquit labiis. longinquit corde; Verum tamen qui alonge steterunt timentes apostoli absolutius et planius de illis accipimus. ut alius propinquasset alius longe steisse intellegamus; Quando quidem et petrus qui audacius sequutus erat. tamen adhuc longe erat. ut interrogatus et perturbatus ter negaret dnm; Cum quo se moriturum esse promiserat. qui postea ex longinquo ut propinquus fieret. audiuit post resurrectionem. amas me. et dicebat amo; et dicendo propinquabat. qui negando longe factus erat. donec trina uoce amoris solueret trinam uocem timoris; Et proximi alonge steterunt et uim faciebant qui quaerebant animam meam; Iam manifestum est. qui quaerebant animam ipsius qui non habebant animam eius. qui a non erant in corpore eius; Qui quaerebant animam eius. longe erant a anima eius. sed quaerebant ut occiderent eam; Quaerit ergo anima eius et bene; Nam alio loco arguit quosdam dicens. et non est. qui requirat animam meam; Arguit quosdam non querentes animam eius; Et rursus arguit alios querentes animam eius; Quis est. qui quaerit bene anima ipsius qui eius passiones imitatur; Qui sunt qui quaerebant male anima eius. qui eius uim faciebant et crucifigebant eum; Sequitur. qui querebant mala mea loquti sunt uanitatem; Quid est. qui querebant mala mea multa quaerebant. et non inueniebant; Post hoc dixerit quaerebant crimina mea quae fecerunt enim quae in illum dicerent. et non inueniebant; Quaerebant enim mala de bono. quaerebant scelera de innocente; quando inuenirent in eo qui nullum peccatum habebat;